quod non erat, ac ſe a ueteriſ uitę quaſi ſibi ante dilectę ſocietatiſ ſecernit. et quaſi prodigę copulaſ poſteritatiſ eliminat, ut diuidantur parenteſ in filioſ dum intemperanſ motuſ temperantia corporiſ abdicatur. et anima declinat conſortium culpę, nec extrinſecuſ illi et foriſ ſub parte locuſ remanet uoluptati. Filii quoque in parenteſ diuiduntur, dum renouati hominiſ cenſuram ſeniſe uitia uetuſta declinant, pietatiſque normam uoluptaſ adoleſcentię tamquam ſeuerę domuſ refugit diſciplinam. Non incongruum quoque eſt, ſi putemuſ quod et iſti ideo ſe diuidant ut melioreſ fiant parentibuſ, maxime cum in poſterioribuſ dixerit. Si quiſ uenit ad me et non odit patrem aut matrem et filioſ et fratreſ et ſororeſ et animam ſuam, non poteſt meuſ diſcipuluſ eſſe. Et ideo ſecundum ſimplicem intellegendi formam genitalibuſ parentibuſ qui Chriſtum ſequuntur filii anteferuntur; religio enim preſtat pietatiſ officiiſ. Illud quoque ſecundum altiorem interpretationem quia de carne peccatum naſcitur et uelut in utero carniſ operatur de quo ait apoſtoluſ: ſi autem quod nolo hoc ago, iam non ego illud operor ſed quod habitat in me peccatum, cum pro uita mundi huiuſ effuſuſ domini ſanguiſ aboleuerit uitia, in gratiam ex offenſione conuertitur. Superhabundauit enim peccatum, ut ſuperhabundaret gratia, fitque ut ex peccato orta pęnitentia ad conuerſionem me propoſiti et ad cupiditatem gratię ſpiritaliſ impellat. Itaque quod erat mihi ad mortem, hoc erit in ſalutem. Ergo peccatum irriguo fontiſ ablutum ab ea unde generatum eſt carne ſecernitur, et dum unuſquiſque cupit redimere delictum, fit ex ſertę culpę ſtudium diſciplinę; concupiſcentia quoque rerum malarum et quidam motuſ feruidior cupiditatiſ dei uerbo in appetitum tranſfunditur diuinę caritatiſ et amoriſ, atque in eadem nata fit uaria diſciplina, multoque meliorem quam antea uoluptatem ſibi myſteriorum cęleſtium ille corporiſ atque animę appetituſ acquirit. Alitur enim animuſ cognitione rerum et copia futurorum repromiſſione ſublimior, animę opera uetuſta faſtidit. Animaliſ enim homo non percipit quę ſunt ſpiritus dei, ſtulticia enim illi eſt. Spiritaliſ autem diiudicat omnia, ipſe autem a nemine